 (Cicero) Vinimenky

INDEX LECTIONUM

AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS

FRIDERICI GUILELMI IV.

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES AESTIVOS A. MDCCCLIII

INDE A DIE XI. MENSIS APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.



MONASTERII WESTPHALORUM
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA ASCHENDORFFIANA.



Auctoritate

RECTORIS ET SENATUS

Civibus S. D.

FRANC. WINIEWSKI

Philos. Dr., litt. antiq. Prof. P. O.

In orationibus antiquorum scriptorum explicandis, iis praesertim, quae ad res publicas spectant, interpreti non vulgari quadam, sed accuratissima saepe et suis quibusque temporibus descripta rerum gestarum cognitione opus esse, insigni aliquo exemplo monstrare, delata ad nos hac praesenti scholarum indici praefandi occasione, nobis proposuimus, sperantes, fore ut ita Vobis quoque, Commilitones humanissimi, ad severiorem studiorum rationem aliquantum incitamenti et utilitatis afferamus. Materiam suppeditabit Ciceronis oratio pro Murena, cum omnino eximia, tum vero etiam ea de causa in gravioribus numeranda, quod cum rebus gestis coniurationis Catilinariae arctissime est coniuncta. Quippe habita est oratio haec a Cicerone consule, anno igitur u. c. DCXCI, pro Murena consule designato, ambitus reo. Atque habitam eam esse Catilina urbe eiecto, sed sociis eius in foro et curia adhuc versantibus, itaque ante supplicium de coniuratis Nonis Decembribus sumptum, adeoque post Ciceronis orationem Catilinariam I et II,

sed ante III et IV, ex ipsius orationis cap. III, VI, XXXVII et XXXIX recte collegerunt viri docti omnes, qui in hac oratione aut in eadem historiae Romanae parte illustranda accuratius elaborarunt. *) At quo tempore Murena, cons. design., ambitus sit reus factus a competitore Sulpicio, res est non adeo certa et explorata. Nam accusationem per se quidem patet institutam esse comitiis consularibus Cicerone et Antonio Coss. habitis, quibus ille cum D. Silano consul designatus esset, Sulpicius repulsam tulisset; sed de comitiis ipsis, quo tempore fuerint, quaestio est nondum ad liquidum perducta. Quae quaestio minutior ac supervacanea fortasse videri posset, nisi ad ipsius orationis partem aliquam rectius intelligendam nonnihil momenti afferret. Etenim Cicero media fere oratione enumerans, quibus rebus Sulpicius consulatus adipiscendi viam sibi ipse obsepserit, denique cap. XXIV et XXV. haec addit:

„XXIV. Sed tamen, Servi, quam te securim putas iniecisse petitioni tuae, quum tu populum Romanum in eum metum adduxisti, ut pertimesceret, ne consul Catilina fieret, dum tu accusationem comparares, deposita atque abiecta petitione? Etenim te inquirere videbant, tristem ipsum, maestos amicos; observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant: quibus rebus certe ipsi candidatorum vultus obscuriores videri solent; Catilinam interea alacrem atque laetum, stipatum choro iuventutis, vallatum indicibus atque sicariis, inflatum quum spe militum tum collegae mei, quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum

*) Victorius Var. Lect VI; 18, Pighius Annal. Rom. Tom. III. p. 321, Ferratius Epist. p. 237 No. 5, ex recentioribus autem Drumann. Hist. Rom. Tom. V. p. 477, Fischer. Tabul. Rom. chronol. p. 226, Brückner. Vita Cicer. Gotting. 1852. T. I. p. 253.

exercitu; quam turbam dissimillimo ex genere distinguebant homines perculsi Sullani temporis calamitate. Vultus erat ipsius plenus furoris, oculi sceleris, sermo arrogantiae, sic ut ei iam exploratus et domi conditus consulatus videretur. Murenam contemnebat; Sulpicium accusatorem suum numerabat, non competitorem; ei vim denuntiabat; rei publicae minabatur. XXV. Quibus rebus qui timor bonis omnibus iniectus sit quantaque desperatio rei publicae, si ille factus esset, nolite a me commoneri velle; vosmet ipsi vobiscum recordamini. Meministis enim, quum illius nefarii gladiatoris voces percrebruissent, quas habuisse in concione domestica dicebatur, quum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse nisi eum, qui ipse miser esset; integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros credere non oportere; quare qui consumpta replere, erepta recuperare vellent, spectarent quid ipse deberet, quid possideret, quid auderet; minime timidum et valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum. Tum igitur, his rebus auditis, meministis fieri senatusconsultum, referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus. Itaque postridie frequenti senatu Catilinam excitavi, atque eum de his rebus iussi, si quid vellet, quae ad me allatae essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit. Tum enim dixit duo corpora esse rei publicae, unum debile, infirmo capite, alterum firmum, sine capite: huic, quum ita de se meritum esset, caput se vivo non defuturum. Congemuit senatus frequens, neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit. Nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant; partim, quia timebant. Tum erupit e senatu triumphans gaudio, quem

omnino vivum illinc exire non oportuerat: praesertim quum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante Catoni, fortissimo viro, iudicium minitanti ac denuntianti, respondisset, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua sed ruina restincturum. XXVI. His tum rebus commotus, et quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum et cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret — etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere — verum ut omnes boni animadverterent et, quum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque meum concurrerent. Itaque quum te, Servi, remissiorem in petendo putarent, Catilinam et spe et cupiditate inflammatum viderent: omnes, qui illum ab re publica pestem depellere cupiebant, ad Murenam se statim contulerunt."

His in verbis hoc unum sensere interpretes, Ciceronem discrepare a Sallustio, quod hic Catilinam eo ipse die, quo a Cicerone prima oratione Catilinaria sit e senatu urbeque eiectus, dixisse in senatu refert: „quoniam quidem circumventus ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam" (Bell. Catil. c. 31.), quae verba Cicerone auctore h. l. alio tempore dicta sunt a Catilina. Quae discrepantia manet, seu senatus conventum illum, quo de domestica Catilinae concione ageretur, et ex quo Catilinam erupisse Cicero dicit, eundem putes, coram quo Cicero prima oratione in Catilinam invectus sit, seu alio tempore habitum. Inter utrumque hoc vero fluctuant interpretum sententiae. Nam Sylvius ad „concionem domesticam" haec adnotat: „quam domi habuit, cum ad coniurationem universos excitaret eos, quos ante singulos allocutus fuerat, ut eorum animos pertentaret. In ea tamen

concione, quae est apud Sallustium, haec scripta non sunt.“ Intelligit Sylvius eam concionem, quae est apud Sallustium c. 20. Sed oratio Catilinae ibi expressa, ut non habet ea, quae Cicero h. l. affert, ita non dicta est Cicerone consule, sed anno ante, L. Caesare et C. Figulo Conss. circiter Cal. Iunias (Sall. c. 17), Catilina una cum C. Antonio et Cicerone primum consulatum petente (v. Sall. c. 21, 24 et 25). Matthiae *) miro modo concionem illam domesticam confundit cum concione apud M. Laecam habita, de qua Cicero refert I. Catil. c. 4, quae habita est priore nocte, antequam Cicero I. oratione in Catilinam invectus est eumque urbe eiecit. Quam ad opinionem vir doctus eo perductus videtur, quod verba „erupit e senatu“ et „incendium fortunarum suarum se non aqua sed ruina restincturum“ ad I. orat. Catilinariae tempora referebat. Eadem et maior etiam confusio iisdem de rebus est apud Moebium. **) Denique qui post illos hanc orationem inter-

*) M. T. Cic. Orr. VII. in usum schol. ed. 3. 1831.

**) Cic. Orr. XII selectae. Vol. II. ed. 3. 1833. p. 27 sq. unde quae huc pertinent repetita ad verbum sunt a Crusio in Moebii editione or. pro Mur. ab eo curata Hannov. 1846. Ille igitur primum ad „concionem domesticam“ haec affert: „quam in domo Laecae habuit“, „vor der Versammlung in seinem Hause“. S. I. Catil. 4. und Sall. Cat. c. 17 u. 20. Doch findet sich dieses nicht in der dort angeführten Rede. Vergl. Dahl. Ohne Zweifel lauteten die Berichte über diese Rede sehr verschieden und Sallust, der dieselbe aufgezeichnet hinterliess, folgte zunächst seinem vorgesteckten Ziele.« In his omnia tantopere sunt sursum deorsumque turbata, ut singula refellere longum sit. Primum enim concio apud Laecam nequaquam vocari potest concio domestica. Tum quid sibi vult concio apud Laecam habita ante concionem domesticam, quae nusquam memoratur? Denique apud Cic. I. Catil. c. 4 sermo est de concione apud Laecam, quae fuit priore nocte, quam Cicero Catilinam e senatu urbeque eiecit. Ea vero, de qua Sallustius c. 17 et 20 refert, domestica quidem fuit, sed, ut modo dixi, anno ante Ciceronem consulem circiter Cal. Iunias Conss. L. Caesare et C. Figulo habita. Atque ut haec miro modo confusa sunt, ita quanto in errore versetur, aperuit idem Moebius iis, quae ad verba „incendium ruina restincturum animadvertit.« Diese Antwort, inquit, gab Catil. nach Sall. c. 31. nicht einige Tage vor der Senatsversammlung, sondern an dem hier genannten Tage selbst. Ohne Zwei-

pretatus est Steinmetzius *) has rerum ac temporum discrepantias omnino silentio praeteriit. Reliqui autem viri docti, qui res Ciceronis aut coniurationem Catilinae ex ordine illustrarunt, quamquam hoc recte intellexerunt, ea quae Cicero hac parte orationis pro Murena enarret, non posse ad tempus orationis in Catil. I. referri, quae quum habebatur, comitia consularia iam habita erant **), in his ipsis tamen constituendis minime satis explorata vestigia pressisse videntur. Sed haec sufficiant, ut videatur, nos ad operam nequaquam omnino consumptam accingi, si locum illum accuratius examinare et res in eo commemoratas, concionem illam domesticam, senatus conventus, comitia denique consularia, suis certis temporibus assignare conabimur. Qua in re ut certissima quam fieri potest via ingrediamur, necesse erit, res quae proximae sunt Ciceronis primae in Catilinam orationi suis accurate temporibus constituantur.

Itaque Ciceronis prima in Catilinam oratio habita est VI. Idus Novembr. ***) Eiusdem orationis c. 2. Cicero „At nos vicesimum

fel irrte Sallust, der 20 Jahre nach der Verschwörung noch kein Mitglied des Senats war, in Angabe der Zeit und Gelegenheit, u. Flor. IV. 1. folgte dem Zeugnisse dieses Historikers. Cicero, der in demselben Jahre, als die Catilinar. Verschwörung entdeckt war, für Murena redete, konnte sich nicht irren, und mit Corte anzunehmen, dass Catilina diess mehrmals geäussert haben konnte, ist, wie Wolff richtig bemerkt, ganz unwahrscheinlich. Vgl. Dahl. l. c." Itaque Moebius his aperte Senatum, coram quo Cicero in or. p. Mur. de Catilinae concione domestica retulisse se ait, cum eo, in quo idem primam Catilinariam habuit (nam de hoc agitur Sallust. l. c. c. 31.), confundit. Quod omnino falsum esse illico apparebit.

*) Cicer. Oratt. pro S. Roscio — pro Mur. Mogunt. 1832.

**) „Quum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus." Or. in Catil I. c. 5. §. 11.

***) Ita cum Fabricio in Cic. hist. p. Cons. descr. Col. 1563. p. 159, Middlet. in Hist. Rom. Cicer. aetate Tom. I. p. 292. vers. Germ. a. 1759 et Ferrat. apud Garaton. ad argum. Manut. Catil. I. p. 357 sq. statuo contra Drumann. Hist. Rom. V. p 456. not 32, qui VII. Id.

iam diem patimur, ait, hebescere aciem horum (senatus) auctoritatis. Habemus enim huiuscemodi senatus consultum, verum tamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum, quo ex S. C. confestim interfectum te esse, Catilina, convenit.“ Decretum eo S. C. esse: „viderent Consules ne quid res publica detrimenti caperet“, docent ipsa Ciceronis verba cap. 1.: „Habemus S. C. in te, Catilina, vehemens et grave; non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis; nos, nos, dico aperte, consules desumus. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid res publica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus cet.“ Quod S. C. factum esse diserte narrat Sallustius Catil. c. 29, addens: „eam potestatem per senatum more Romano maximam permitti: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives: domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter, sine populi iussu, nulli earum rerum consuli ius esse.“ Cf. Plut. Cic. 15, Dio Cass. l. XXXVII. c. 31. Atque factum est illud S. C., eodem Sallustio auctore (ibid. c. 28), quo die Cicero ad Senatum retulit, quae sibi nuntiata essent de Manlio, qui a Catilina praemissus in Etruriam plebem ibi „sollicitabat, egestate simul, ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat; praeterea latrones cuiusque generis,

Nov. habitam censet. Etenim Cic. in Catil. I. c. 1: „quid proxima, inquit, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris. Idem c. 4: Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem . . . Dico te priore nocte (eadem est haec, quae modo dicta est superior) venisse inter falcarios — in M. Laecae domum.« Haec autem nox „consecuta est posterum diem Nonarum Novembr.“ (V. orat. p. Sulla c. 18.) h. e. VIII. Idus Novembres. Unde, quum duae noctes (proxima et superior, quarum hac Catilinam in M. Laecae domo cum sociis convenisse Cicero refert) orationem in Catil. I. praecesserint, hanc habitam esse VI. Idus Novembres apparet, id quod confirmabunt sequentia.

quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant." Accuratiora eandem in rem Plut. l. c. haec refert: „Non multis post diebus (h. e. postquam comitiis consularibus Catilina repulsam tulit) dum milites Catilinae in Etruria contrahuntur, et definita ad coepta patranda dies instat, intempesta nocte principes et potentissimi civitatis venerunt domum ad Ciceronem, M. Crassus, M. Marcellus, Scipio Metellus. Pulsatis foribus et ianitore appellato, excire ex somno Ciceronem et se adesse iusserunt nuntiare. Erat autem res haec: Crasso a coena epistolas reddiderat ianitor ab homine allatas ignoto, alias aliis inscriptas, ipsi Crasso unam sine nomine. Ea Crassus sola lecta, ubi litterae significarunt multorum moliri Catilinam caedem, monueruntque, ut civitate se subduceret, non aperuit reliquas, sed confestim, tanto attonitus periculo, properavit ad Ciceronem, simul nonnullam, in qua ob familiaritatem erat Catilinae, diluturus suspicionem. Cicero, re deliberata, prima luce convocat Senatum, epistolas reddit iis, quibus erant destinatae, iubetque ut eas publice legant. Continebant omnes ex aequo instare caedem. Ceterum postquam delectum in Etruria haberi Q. Marcius (Ἄῤῥιος), vir praetorius, significavit et Manlium nuntiatum est magna cum manu illic circa oppida haerere, opperientem aliquem motum urbanum, fit Senatus consultum, ut committeretur Consulibus res publica, ii viderent, ne quid res publica detrimenti caperet. Id non frequenter, sed in gravi discrimine facere Senatus solet. Eadem fere Dio Cass. l. c. cap. 31. *) His de rebus autem retulit Cicero ad Senatum a. d. XII. Cal. Novembr., id quod apparet ex I. Catil. c. 3 verbis hisce: „Teneris undique, luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quae etiam mecum licet recognoscas. Meministine, me ante diem XII. Cal.

*) Pertinet huc etiam Plut. Crass. 13

Novembr. dicere in senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI. Cal. Novembr., C. Manlium, audaciae satelliten atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in Senatu, caedem te optimatium contulisse in ante diem V. Cal. Novembr., tum quum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt." Est autem dies XII. a. Cal. Novembres decimus octavus ante diem, quo habita est prima Ciceronis in Catilinam oratio. Eodemque diserte docet Ascon. Pedianus ad Or. in Pison. c. 2. §. 4. factum esse illud Senatus consultum, „vigesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis" Ciceronem verbis supra allatis dixisse contendens non accurate, sed ex sua consuetudine seu oratorum more, „quum octavus decimus dies esset, posteaquam factum S. C. est, viderent Consules, ne quid res publica detrimenti caperet, ut in Pison. l. c. in verbis „Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL annis ante me consulem" XL annis perinde accipiendum ac si dixerit: prope XL annis. „Post paucos dies, quam Senatus consultum illud factum est, Sallustius pergit (l. c. 30), L. Saenius senator in Senatu litteras recitavit, quas Faesulis adlatas sibi dicebat. In quibus scriptum erat, C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante d. VI. Cal. Novembr. — Simul Capuae atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur Senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi. — Sed Praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum, iisque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Ad hoc decrevere, si quis indicavisset de coniuratione, quae contra rem publicam facta erat, praemium servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem eius rei

et sestertia ducenta; itemque decrevere, uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur, pro cuiusque opibus; Romae per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magistratus praeessent. Quibus rebus permota civitas atque urbis facies erat.“ Eadem ex parte Plut. l. c. 16. De Manlio, qui VI. Cal. Novembres arma ceperit, ipsum Ciceronem I. Catil. c. 3 referentem modo audivimus. Reliquos apparatus bellicos, inprimis Q. Metellum Celerem in agro Piceno et Gallico delectum habuisse, confirmat idem II. Catil. c. 3. Sed quod attinct ad urbis praesidia, ea haud dubie iam ante VI. Cal. Novembr. parata esse ea docent, quae Cic. I. Catil. l. c. refert: „Dixi ego idem in Senatu (die illo XII. Cal. Novembres), caedem te optimatium contulisse in ante diem V. Cal. Novembr., tum quum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes, te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rem publicam non potuisse, quum tu discessu ceterorum nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse dicebas.“ Post haec Catilina ipsis Calendis Novembribus Praeneste occupare nocturno impetu moliebatur, sed eam quoque coloniam Ciceronis iussu praesidiis, custodiis vigiliisque esse munitam intellexit (I. Catil. c. 3.). Sequitur iam acerrimus ille coniurationis ardor post Nonas Novembres, nocturnus coniuratorum conventus in domo M. Porcii Laecae ea nocte, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembr. (Cic. p. Sulla c. 18), quo Catilina distribuit partes Italiae, statuit, quo quemque proficisci placeret; delegit quos Romae relinqueret, quos secum educeret, urbis partes ad incendia descripsit, seque ipsum iam exiturum confirmavit.“ (I. Catil. 4.) Cf. II. Catil. 3, p. Sulla l. c. Postridie mane duo equites (1. Catil. 4), Sallustio auctore (c. 28) C. Cornelius eques et cum eo L. Vargun-

teius senator, secundum Plutarchum (in Cic. c. 16) Marcius et Cethegus *), tamquam salutatum veniunt ad Ciceronem, eum ut in lecto suo confodiant, quam operam illo in conventu Catilinae polliciti erant; sed irrito, quum Cicero periculi mature per Fulviam admonitus eos domo sua excluserit. His rebus excitatus Cicero Senatum in proximum diem **) VI. Id. Novembr. convocat in templum Iovis Statoris, ibique Catilinam praesentem excitat ea oratione, quae prima in Catilinam vocatur. ***) Ita omnibus consiliis suis patefactis Catilina proxima statim nocte ****) quod diu constituerat, et nocturno illo apud M. Laecam conventu promiserat, exsequitur: Romam reliquit et in Manliana castra profectus est, Lentulo in urbe relicto, Cassio incendiis, Cethego caedi praeposito, Autronio occupare Etruriam iusso (p. Sulla 18).

Iam postrema haec exposuisse satis est, ut videatur, nihil illorum, quae Cic. or. p. Mur. l. c. narrat, ad ea referri posse, et neque concionem illam domesticam cum nocturno apud Laecam coniuratorum conventu, neque Senatum post illius denuntiationem habitum cum Senatu

*) De C. Cornelio equite certum est ex or. p. Sulla c. 18.

**) V. p. 8 not 3. et p. 11. Scio quidem obstare huic sententiae verba or. in Catil. II. c. 3: „omnia superioris noctis consilia ad me perlata esse sentiunt, patefeci in senatu hesterno die“ et cap. 6. „hesterno die, Quir., quum domi meae paene interfectus essem, Senatum in aedem Iovis Statoris convocavi.“ Sed haec quum ad nostram rem minus pertineant, brevitatis causa nunc missa facio. Ceterum Ciceronem Or. in Catil. I. c. 4 nequaquam censeo dicere potuisse »recognosce tandem mecum noctem illam superiorem« et „fuisti ergo apud Laecam ea nocte« et »illa ipsa nocte paullo ante lucem“, si noctem ei diei, quo orationem in Catil. I. perorabat, proxime antecedentem intelligi voluisset.

***) Sallust. l. c. 31. apud quem tamen postrema haec longe disiuncta sunt a nocturno illo apud Laecam conventu, quippe qui c. 27 et 28 narretur, eodem vero cap. et sqq. 29 et 30 interposita sit narratio earum rerum quae factae sunt inter XII. Cal. Novembres et VI. Idus Novembres.

****) Sall. 32 nil nisi intempesta nocte. Sed Ciceronis secunda in Catil. or. habita est postridie quam Senatus ille habitus est, Catilina iam urbe egresso (V. eiusd. or. c. 3 et 6).

VI. Id. Novembr. in templum Iovis Statoris convocato quidquam commune habere. Utrisque et actae sunt res omnino diversae, et Catilina ipse diversum hic et illic animum ostendit. Atque ne diutius morer in re planissima, hoc tantum, quod maximum est, afferre liceat. Illa habita erant ante comitia consularia; haec post eadem, id quod docent or. in Catil. I. verba cap. 5: „quum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus rel.“ Porro Catilina ex Senatu, post concionem illam domesticam habito „erupit quidem triumphans gaudio“, sed mansit in urbe, nimirum exspectaturus comitia consularia, contra quum e Senatu VI. Idus Novembr. habito timidus (II. Catil. 6) seu ira furibundus (Sall. l. c. c. 31) egressus esset, postera nocte ipsam etiam urbem reliquit. Nam adfuisse eum comitiis docent et Ciceronis verba modo allata et Or. pro Mur. locus de quo agitur c. 26. Cf. Or. pro Sulla c. 18. Sallust. l. c. 26. Plut. Cic. 14. Dio Cass. XXXVII. c. 29.

Itaque comitia haec cum omnibus, quae praecessisse ea Cicero in orat. pro Murena refert, quum habita sint ante nocturnum apud Laecam conventum et primam orat. Catilinariam, quaerendum iam restat, ad quod aliud tempus aptissime possint referri. Qua de re apud plerosque alios viros doctos, qui res ad Ciceronis consulatum pertinentes acriore iudicio persecuti sunt, constantem fere sententiam invenio hanc, quam ipse primo adspectu probabilem esse censui. Scilicet Fabricius Marcodur. l. c. p. 156. „edicta comitia consularia, ait, fuisse videntur in ante diem XII. Cal. Novembr., qui nominatur in Catil. I. Sed cum pridie eius diei Cicero Catilinae consilia ad Senatum detulisset, factum est S. C., ne postero die comitia haberentur, ut de eis rebus in Senatu agi posset, rel. ex orat. p. Mur. loco, de quo agimus. „Eodem die factum est S. C. ut viderent Consules, ne quid res publica detrimenti caperet.“

Postea ipsis de comitiis loquens, quo die habita sint, non notavit; sed qui XII. Cal. Novembres contendit, perendinata esse comitia, vix inter hunc et VI. Id. Novembres, quo habita est I. in Catil. oratio, commodiorem comitiorum diem inveniet, quam V. Cal. Novembr., quem in diem caedem optimatium contulisse Catilinam Cicero ait I. Catil. 3, sed eodem die suis praesidiis suaque diligentia circumclusum commovere se contra rem publicam non potuisse. Atque hunc ipsum diem, V. Cal. Novembr., notat Middleton. l. c. I. p. 278, licet confusis rationibus, quum in hunc diem ea conferat, quae XII. Cal. Novembr. facta esse Fabricius censet. Ita porro rem acceptam invenio in plurimis recentioribus argumentis ad orationes Catilinarias, ut diserte apud Matthiaeum in ed. VII. Cic. oratt. in usum scholar. ed. 3. 1831. „Hic quum esset tota res ad Ciceronem a Q. Curio coniurato per Fulviam delata, is a. d. XIII. Cal. Novembr. de coniuratione Catilinae ad Senatum retulit et perfecit, ut comitia consularia, quae in a. d. XII. Cal. Nov. indicta erant, in ante d. V. Cal. Nov. differrentur. Postridie frequenti Senatu Cicero Catilinam excitavit atque eum de his rebus iussit, si quid vellet, quae ad se allatae essent dicere. Ille non se purgavit, sed indicavit atque induit (pro Mur. c. 25). Senatus vero decrevit, darent operam Conss., ne quid res publica detrimenti caperet.“ Idem Beckius in Argum. Orr. Catilinar. Vol. III. suae Opp. Cic. edit. atque alii. Denique eandem sententiam sequitur vir, cuius his in rebus est sane aliqua auctoritas, Nic. Grucchius de comitiis Romanor. l. I. cap. 6., ubi postquam recte demonstravit, ordinariam Consulum creationem Ciceronis aetate fuisse ad finem mensis Iulii aut principium Augusti, haec addit: „Quodsi ultra ducerentur comitia, id eveniebat propter intercessiones aut obnuntiationes, per quas differrentur. Ut comitia Murenae post V. Cal. Novembres habita sunt, quemadmodum ex orat. p. Murena con-

stare potest.“ Voluit vir doctissimus haud dubie dicere aut ipso V. Cal. Novembr., aut post XII. Cal. Novembr., quippe quo dilata comitia sint. *)

Verumenimvero ista rerum descriptio primum est contra omnium scriptorum, qui res gestas coniurationis Catilinariae accuratius enarrarunt, constantem auctoritatem, qui omnes Catilinam post repulsam demum comitiis consularibus latam bellum facere constituisse, atque hisce eius conatibus excitatum esse Senatus illud consultum referunt, XII. Cal. Nov. factum, „viderent Conss., ne quid res publica detrimenti caperet.“ Ita primum Sallustius cap. 26: „Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio, neque insidiae, quas Consuli in campo fecerat, prospere cessere; constituit bellum facere et extrema omnia experiri.“ Cap. 27: „Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit. Interea Romae multa simul moliri: Consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere etc. Cap. 28. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam. Cap. 29. Ea cum Ciceroni nuntiarentur, rem ad Senatum refert, iam antea volgi rumoribus exagitatum. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet,

*) Cum eodem comitia consularia a die XII. Cal. Novembres in V. Cal. Novembres dilata contendunt, qui accuratiorem rebus coniurationis Catilinariae inquirendis operam navarunt, Wolffius (Catilinae coniur. ex fontib. narrata Gleiwitz. 1830 p. 17 et 18), Drumannus (Histor. Rom. V. p. 449 sq., quamquam is diem comitiorum non accurate notavit et ipse secum pugnare videtur pag. 452), Fischerus (Tabul. chronol. Rom. pag. 224 et 226, qui inter diem XI. Cal. Novembr. et VI. Id. Novembr. comitiorum diem constituit). Horum omnium nemo opinionem suam rationibus firmavit, licet magna satis fiducia eam proferant. Unus atque solus ab illis differt Brücknerus (Vita M. Tull. Ciceronis P. I. Gotting. 1852 p. 223), ceterum nullo ad firmandam sententiam suam et refellendas diversas argumento allato, comitia habita referens ante diem XII. Cal. Novembres, id quod nos his, quorum maxima pars iam ante hos duodecim annos conscripta est, demonstrare conamur.

Senatus decrevit, darent operam consules, ne quid res publica detrimenti caperet." Simili modo Plutarchus Cic. postquam cap. 14 sq. enarravit, quomodo Cicero comitiis consularibus sese defenderit ab insidiis Catilinae secundum Cic. or. p. Mur. *καὶ τέλος*, ait, *ἐν ταῖς ψήφοις τὸν μὲν Κατίλιναν αὖθις ἐξέβαλον, εἵλοντο δὲ Σιλανὸν ὕπατον καὶ Μουρήναν. Οὐ πολλῷ δ' ὕστερον τούτων ἤδη τῷ Κατιλίνᾳ τῶν ἐν Τυῤῥηνίᾳ συνερχομένων καὶ τῆς ὡρισμένης πρὸς τὴν ἐπίθεσιν ἡμέρας ἐγγὺς οὔσης* rel., quae supra iam latine descripsimus de motu in Etruria per Manlium agitato et caede optimatium a Catilina in urbe destinata, quibus in Senatu detectis, Plut. pergit, fit S. C., ut Consulibus committeretur res publica, *δεξαμένους δ' ἐκείνους, ὡς ἐπίστανται, διοικεῖν καὶ σώζειν τὴν πόλιν.* Post quae cap. 16. statim transit ad nocturnum coniuratorum apud M. Laecam conventum et res VI. Idus Novembr. in Senatu actas. Denique Dio Cass. l. c. c. 29 sq. „Hanc ob rem (quod lorica indutus Cicero in publicum egrediebatur), et quod alioquin rumor increbruerat, tendi insidias Ciceroni, populus vehementi indignatione commotus est, territique ii, qui cum Catilina coniurationem fecerant, quietem egerunt. Ita consulibus aliis designatis, Catilina non iam occulte, neque soli tum Ciceroni eiusque sectatoribus, sed toti rei publicae perniciem machinari. — Romae negotium gerebat per administros, consulem (Antonium) in primis et P. Lentulum, — Faesulis (eo enim seditionis socii confluebant) per C. Manlium quendam. — Quum instructa haec iam essent, primo Cicero de iis, quae in urbe agitabantur, certior fit per litteras, quarum auctor non exstabat. Erant autem ad Crassum aliosque nobiles datae. Ob has decretum est, rem ad seditionem spectare, auctorumque harum rerum conquisitionem fieri debere. Secundo loco, quae in Etruria movebantur, nuntiata sunt. Igitur consulibus custodia urbis et rei publicae mandata

est, ut Romanae erat consuetudinis. Huic enim decreto adscriptum erat „darent operam Conss., ne quid res publica detrimenti caperet.“ His actis, quum multis in locis custodiae essent positae, res in urbe motae amplius non sunt *), adeo ut ob calumniam Cicero iam male audiret. Ceterum iis, quae ab Etruria nuntiabantur **), effectum est, ut et fides rei haberetur, et Catilina de vi accusaretur“ rell., quibus ad concionem in domo Laecae habitam convertitur.

Itaque et Sallustii et Plutarchi Dionisque testimonio constat, comitia h. a. consularia non post XII. Cal. Novembres habita, adeoque nec illo die esse procrastinata, sed habita esse antequam factum est S. C. die XII. Cal. Novembr. „viderent Conss., ne quid detrimenti res publica caperet.“ Qua in re si Sallustii auctoritas fortasse minus valere, quod hic etiam alibi in enarrandis ex ordine rebus parum accuratus deprehenditur, Dio autem ex Plutarcho pendere videatur, Plutarcho certe cur deneganda sit fides, nulla est idonea causa, quippe quem usum esse Ciceronis libro de consulatu suo Graece conscripto, verisimile sit, imo certe colligitur ex eius vit. Crassi c. 13. Quae quum ita sint, id quod merito exspectes et ultro consequens est, ut etiam earum rerum, quae ante comitia accidisse Cicero in Or. p. Mur. narrat, Senatus scil. post concionem illam domesticam habiti, separata aliqua apud scriptores illos mentio fiat, ne hoc quidem desiderandum illi reliquere. Plutarchus certe atque Dio, in illo rerum ordine sibi usque constantes, re vera brevi ante comitia consularia etiam illa quamquam breviter referunt atque Senatum post concionem domesticam habitum, cuius meminit Cicero Or. p. Mur., ab illo, qui habitus est XII. Cal. Novembr., cuius

*) Quas movere V. Cal. Novembr. Catilina destinaverat, sed praesidiis diligentiaque Ciceronis prohibitus est.

**) Manlium VI. Cal. Novembr. arma cepisse.

erat S. C. „viderent Conss., ne quid res publica detrimenti caperet“, aperte distinguunt; solus Sallustius omnino illa silentio praeterit, alteram Catilinae petitionem consulatus admodum strictim tangens (c. 26), priore L. Caesare et C. Figulo Conss., ut qua initium totius coniurationis factum est, uberrime exposita (c. 17—25). Atque Plut. l. c. 14. haud dubie Ciceronis orationem pro Mur. ante oculos habens, antequam ad comitia consularia procedit, haec de coniuratione Catilinaria Cicerone consule refert: „At coniuratio Catilinae trepida initio et perculsa resumpsit animos. Conventu autem coacto cohortati sese invicem sunt, ut maiore mole rem susciperent, priusquam Pompeius, quem cum legionibus esse audiebant in itinere, reverteretur. Inflammaverunt Catilinam potissimum veteres Sullani milites, qui per totam fere Italiam fusi, sed plurimi et fortissimi Hetruriae admixti oppidis, quum novas rapinas et direptiones paratas locupletium somniarent, duce Manlio, qui egregie sub Sulla meruerat, conspiraverunt cum Catilina, veneruntque Romam ad comitia, ut eius petitionem suffragiis suis iuvarent. Petebat enim iterum consulatum, certus Ciceronem in ipso comitiorum tumultu occidere. Porro dii quoque clare imminentia mala terrae motibus, fulgoribus et ostentis praenuntiarunt. Indicia vero hominum erant illa quidem vera, sed ad coarguendum virum nobilem et praepotentem Catilinam infirma. Quare producta comitiorum die accersivit in curiam Cicero Catilinam, atque de iis, quae agitata rumoribus erant, interrogavit. Ille vero multos ratus in Senatu esse rerum novarum cupidos, simul et coniuratis sese ostentans, respondit Ciceroni furibundus: „quidnam pecco (inquit), duo quum sint corpora, alterum debile et tabidum, quod caput habet, alterum sine capite, sed validum et magnum, huic si ego caput addo?“ Haec eo involute de senatu et populo iactante, maior Ciceronem incessit metus. Quem igitur lorica munitum primores omnes ac frequens iuventus

ab ipsius domo et curia deduxerunt in campum (ad comitia habenda, de quibus v. supra).

Eadem de re Dio Cass. l. c. c. 29 haec: „Quum eo quoque tempore consulatum peteret (Catilina) eiusque obtinendi causa nihil intentatum relinqueret, statutum est a Senatu, ut qui largitionis convincerentur, ii praeter constitutam mulctam decennali insuper exsilio plecterentur: Cicerone praecipue auctore. Catilina hoc propter se, sicut erat, statutum existimans, conatus est parata ad id manu Ciceronem aliosque primores viros in ipsis comitiis obtruncare, ut confestim consul crearetur. Neque tamen id efficere potuit. Nam Cicero, ante insidiis cognitis, eas Senatui patefecit ipsumque Catilinam graviter accusavit. Quum non persuaderet, ut ea, quae volebat, decernerent (nam in suspicione erat, ac si haud probabilia retulisset, sed ob proprias inimicitias falso eos viros accusasset) timor eum incessit: quippe iam ante Catilinam irritaverat. Itaque non amplius audere in concionem solus, ut alias consueverat, sed cum familiaribus suis, qui ad defendendam vim parati aderant, progredi, loricamque sui tutandi illisque invidiam conciliandi causa gestare, eamque idcirco data opera ostentare.“ Reliqua de comitiis ipsis, ut supra.

Veruntamen loci illi Sallustii et Plutarchi atque Dionis non latuere viros doctos, qui his in rebus illustrandis versati sunt, quo magis mirandum est, eos in tempore rerum constituendo ad dies illos XII. et V. Cal. Novembr. potuisse delabi. Delapsi haud dubie sunt rerum, quae in Or. pro Mur. narrantur et quae gestae sunt diebus XII. et V. Cal. Novembr. similitudine, quae sane est aliqua, sed minime tanta, ut maior diversitas demonstrari non possit. Quam ob rem conferamus illa cum his, id quod etiam vel maxime ad fidem scriptorum illorum, si cui dubia visa sit, confirmandam valebit.

Qua in re primum hoc monendum se offert. Pridie eius diei, quo actum in Senatu est de concione domestica secundum Or. pro Mur., factum est S. C., ne sequenti die comitia fierent. Is dies si erat XII. Cal. Nov., atque eodem die dilata comitia sunt in V. Cal. Nov., qui fit, ut Cicero eodem ipso iam die Catilinae exprobret (I. Cat. c. 3), in V. Cal. Nov. caedem se optimatium contulisse? An consulto in eundem diem dilata comitia sunt, quem Catilina caedi publicae destinarat?

Porro Senatus, de quo Cicero refert in Or. pro Mur., habitus est ante comitia consularia. Post haec Catilinam repulsa lata Manlium, audaciae suae satellitem, praemisisse in Etruriam Sallustius narrat (c. 27). Itaque verum est, quod refert Plutarchus l. c., venisse Manlium antea Romam cum aliis eiusdem regionis incolis, ut, quod sponte patet, comitiis Catilinae praesto essent. Aderat igitur tum Manlius Romae, quum agebantur ea, quae in Or. pro Mur. leguntur, atque hoc vel ex ipsis Ciceronis verbis colligitur. *) Itaque haec omnia facta necesse est ante diem XII. Cal. Nov., quo convocatus Senatus est propter nuntios ex Etruria allatos de Manlio plebem illius regionis sollicitante. Quibus convenienter Cicero in Or. pro Mur. refert, Senatum propter solam illam concionem domesticam convocatum fuisse, quae ipsa, ut patet ex verbis ibidem allatis, nondum ad bellum rei publicae palam inferendum spectabat aut parandum civitatis status interitum, sed ad comitia consularia, his ut Catilinae consulatum mandandum acerrime curarent socii et qua possent ratione perficerent.

Deinde Senatus post concionem illam domesticam convocatus „congemuit, ait Cicero pro Mur., neque tamen satis severe pro rei indigni-

*) „animadvertebant Catilinam — circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum exercitu, quam turbam dissimillimo ex genere distinguebant homines perculsi Sullani temporis calamitate.“

tate decrevit; nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant, partim quia timebant." Eodem respicit Dio Cass. l. c. c. 29. quum dicit: „Cicero ante insidiis cognitis, ea Senatui patefecit, ipsumque Catilinam graviter accusavit. Quum vero non persuaderet, ut ea, quae volebat, decernerent (nam in suspicione erat, ac si haud probabilia retulisset, sed ob proprias inimicitias falso eos viros accusasset) timor eum incessit." Haec Senatus ob infirmum consilium vituperatio minime quadrat ad S. C. XII. Cal. Nov. factum: „viderent Consules, ne quid res publica detrimenti caperet", „quo ex S. C., ait Cicero I. Catil. c. 2, confestim interfectum esse Catilinam conveniebat." De eodem sane Cicero ibidem haec dicit: „habemus enim huiusmodi S. C., verumtamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum." Quibus verbis viri docti illi potissime mihi eo adducti videntur, ut Senatum post concionem domesticam habitum cum hoc XII. Cal. Nov. habito confunderent. Sed non Senatum his Cicero obiurgat, verum ipsum se, qui data sibi potestate Catilinam interficiendi, hoc exsequi tamdiu neglexerit. Ad mortem te Catilina duci iussu consulis iam pridem oportebat (I. Catil. c. 1). „Habemus S. C. in te, Catilina, vehemens et grave; non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis; nos, nos, dico aperte, consules desumus. Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid res publica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus; occisus est cum liberis M. Fulvius, consularis. At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis" (I. Catil. c. 2). Itaque quodcunque senatus consultum illud fuit, post concionem domesticam factum, de quo sane nil constat, tamen cum S. C., quod factum est die XII. Cal. Nov. confundi minime potest.

Denique post illud S. C., quod a Cicerone p. Mur. vituperatur, Catilina insolenter audacterque se gessit. „Tum erupit e Senatu, ait Cicero Or. p. Mur., triumphans gaudio.“ Contra post XII. illum Cal. Nov. ipse se in custodiam dedisse videtur. „Ceterum iis, quae ab Etruria nuntiabantur, verba sunt Dionis Cass. l. c. c. 32, effectum est, ut et fides rei haberetur, et Catilina de vi accusaretur. Catilina primum tanquam sibi esset optime conscius, iudicium non detrectare: se ad causam dicendam parare, se Ciceroni ipsi custodiendum, ne scilicet effugere posset, tradere, eo abnuente, ultra cum praetore Metello degere, ne innovandarum rerum studii suspectus haberetur, donec interim a coniurationis sociis aliquantum roboris acciperet (μέχρις ἂν καὶ ἐκ τῶν αὐτόθι συνωμοτῶν ἰσχυρόν τι προςλάβῃ). Quum nihil procederet (quod Antonius timore perculsus trepidabat, Lentulus autem ad agendum minime idoneus erat), edixit ipsis, ut in domum quandam noctu convenirent. Ibi clam Metello cum iis conveniens (καὶ λαθὼν τὸν Μέτελλον ἦλθε τε πρὸς αὐτοὺς) timiditatis mollitieique causa increpat; deinde exponit, quae passuri sint detecta re, ea vero bene gesta, quibus bonis potituri. Ita eorum animos confirmat irritatque, adeo ut duo quidam pollicerentur, se summo mane in domum Ciceronis introituros, ibique eum confossuros.“ Quae postrema ad nocturnum coniuratorum apud M. Laecam conventum pertinent, ut, quae continuo narrat, ad Senatum, qui habitus est VI. Id. Nov. Quamobrem hoc quidem, quod refert Catilinam clam Metello praetore, cui se in custodiam tradidisset, cum coniuratis nocte illa convenisse, manifesto falsum est. Nam Metellus, qui est Q. Metellus Celer praetor, eo tempore Romae non aderat, sed in agro Piceno, quo eum post VI. Cal. Nov. emissum Sallust. c. 30, ibique delectum habuisse Cic. II. Catil. c. 3 referunt. Cf. ibid. c. 12. Atque aliter de hoc, ceterum rem ipsam confirmans, Cic. I.

Cat. c. 8: „Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti? Quid? quod vitanda suspicionis causa apud M. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus etiam ad me venire ausus es, atque ut domi meae te asservarem rogasti. Quum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tute esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur: ad Q. Metellum praetorem venisti. A quo repudiatus ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti, quem tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum et ad suspicandum sagacissimum et ad vindicandum fortissimum fore putasti.“ Ceterum voluntariam hanc custodiam quaesivisse Catilinam purgandi sui causa, quum de vi accusatus esset, id quod Dio Cassius narrat, omnino verisimile est. Quod si est, factum etiam est post XII. Cal. Nov., circiter VI. Cal. Nov. Ita enim Sallustius quoque, quum paratis post XII. Cal. Nov. et nuntium post VI. Cal. Nov. ex Etruria acceptum praesidiis permota et trepida civitas esset, „At Catilinae crudelis animus, ait (c. 31), eadem illa movebat: tametsi praesidia parabantur: et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo“, quibus continuo transit ad Senatum VI. Id. Nov. habitum, a quo Catilina urbe eiectus est. Est enim lex Plautia de vi, armatis hominibus. V. Cort. ad Sall. l. c. et Sigon. de Iudic. II, 33.

Itaque omnia haec eo conveniunt, ut probent, Senatum post concionem domesticam, de quo Cicero refert in Or. pro Mur. l. c., aliquantum temporis ante XII. Cal. Nov. habitum esse. Neque tamen hoc remoto statim apparet falsum esse etiam alterum, quod statuunt viri docti, ut supra retulimus, comitia consularia V. Cal. Nov., itaque aliquot dies post XII. Cal. Nov., quo die factum est S. C., „viderent Conss., ne quid res publica detrimenti caperet“, habita esse. Videlicet pridie, quam retulisse se Cicero ait ad Senatum de concione domestica in Or. p. Mur.,

factum est Senatus consultum, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in Senatu agi posset. Quidni igitur comitia dilata sunt usque ad d. V. Cal. Nov.? Etenim ipso comitiorum die Cicero, „quod homines iam tum coniuratos, ait in Or. p. Mur., cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum et cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret — etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere — verum ut omnes boni animadverterent, et quum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque meum concurrerent.“ Cf. I. Catil. cap. 5. Idem in I. Catil. c. 3 Catilinam caedem optimatium contulisse dicit in ante d. V. Cal. Nov., „tum quum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes, te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum commovere te contra rem publicam non potuisse, quum tu discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse dicebas?“ Est sane horum inter se aliqua similitudo. Attamen omissis illis, quae supra monstravimus, Sallustium, Plutarchum, Dionem Cass. comitia illa consularia certo ante diem XII. Cal. Nov. referre, id quod eo praecipue confirmatum visum est, quod Manlius comitiis consularibus Catilinae Romae adhuc praesto fuerit, XII. Cal. Nov. iam in Etruria Faesulis seditionem parabat, ipsa etiam illa Ciceronis verba modo allata, si accuratius examinantur, idem perspicue docent. Nam quid sibi vult, quod Cicero in Or. p. Mur. dicit: „His tum rebus commotus, et quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam“? Nonne his comitia illa consularia proxime admoventur Senatui, quo actum est de concione domestica? Commotum se ait, ut in campum lorica tectus descenderet,

arrogantia ista Catilinae, qua se in senatu nuperrime habito et paullo antea iactavit, quum Catoni iudicium minitanti ac denuntianti respondisset, „si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum.“ At V. Cal. Nov. alia erant, quae istum suaderent sui praesidium, quo tempore Senatus iam decreverat, „viderent Consules, ne quid res publica caperet detrimenti“, quo Manlius iam seditionem in Etruria moverat, denique nuntiatum sibi erat, illum in diem Catilinam caedem optimatium contulisse. Eodem tempore, paucos ante I. Catilinariam dies, ubi patefacta iam sibi omnia coniuratorum consilia erant, coniuratio iam ardebat acerrime, bellum iam in Etruria exarserat, quomodo iam tum coniuratos homines dicere potuit? Haec verba diserte docent, comitia consularia facta esse antequam coniuratio certis indiciis cognita esset, adeo ut magna Senatus pars nihil timeret, quod nullam suspicionem habebat. Iam tum coniurati homines erant h. e. iam ante comitia consularia, quibus repulsa lata ad coniurationem Catilina primum impulsus videri posset. Quod si de V. Cal. Nov. dixisset, ridiculum esset, ubi tot iam allata erant nefariorum consiliorum indicia. Porro I. Catil. c. 5. Cicero dicit: „Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Quum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti: compressi tuos nefarios conatus amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato: denique quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti, quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse coniunctam. Nunc iam aperte rem publicam universam petis.“ Haec Cicero, postquam brevi antea (c. 3) exposuit, quae nuperrime Catilina contra rem publicam ipsam molitus sit, inter haec de die illo V. Cal. Nov., quibus iam eas insidias opponit, quas sibi ipsi antea

struxerit, ita his ipsis iam indicans, de diversis rebus verba se facere. Atque comitiis consularibus ille ipsum consulem et competitores suos interficere cupiebat, in diem V. Cal. Nov. caedem optimatium contulerat, pacta haud dubia cum Manlio die, atque hunc, qui pridie arma in Etruria ceperat (αἰωρούμενος ἀεί τι προσδοκᾷν καινὸν ἀπὸ τῆς Ῥώμης Plut. Cic. c. 15.), urbe adiuturus. Atrociora haec erant quam illae comitiorum insidiae, ut et Cicero ea „rem tantam, tam atrocem, tam incredibilem" vocat l. c. Porro tum privata sese diligentia defendit, lorica tectus et amicorum praesidio, contra die V. Cal. Nov. suis praesidiis, sua diligentia circumclusum Catilinam commovere se contra rem publicam non potuisse, l. c. Atque publica praesidia iam tum esse disposita omnino verisimile est, quod atrox illud Catilinae consilium die iam XII. Cal. Nov. patefactum eoque ipso die commissa iam summa potestas consulibus erat. Contra quae nemo iam puto obiiciet, quod Catilina die V. Cal. Nov. „discessu ceterorum optimatium, Ciceronis tamen, qui remansisset, caede contentum se esse dicebat." I. Catil. l. c. Nam Catilinam saepius petisse Ciceronem docent et huius verba l. c. c. 5. §. 11. „denique quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti", et Sall. c. 27, qui post comitia et Manlio iam Faesulas misso, sed ante nocturnum apud Laecam conventum, „Catilina, ait, interea Romae multa simul moliri, Consuli insidias tendere."

Denique, quod ultimo loco dixi, comitia consularia habita esse antequam coniuratio certis indiciis cognita esset, adeo ut magna Senatus pars nihil timeret, quod nullam suspicionem habebat, id confirmatur egregie his Ciceronis verbis Or. pro Sulla c. 18: „Sin tu ais comitatum illum Autronii et Catilinae, cum in campo consularibus comitiis, quae a me habita sunt, caedem facere voluerunt, Autronium tum in campo vidimus; et quid dixi vidisse nos? Ego vidi, Vos enim, iudices, nihil

laborabatis, neque suspicabamini.“ Ergo quo tempore comitia habita sunt, nulla adhuc erat coniurationis publice concepta suspicio, res nondum percrebruerat aut non credebatur. Atque idem Dio Cass. docet l. s. c. c. 29: „Cicero insidiis (quas sibi Catilina in comitiorum diem destinaverat) antea cognitis, eas Senatui patefecit, ipsumque Catilinam graviter accusavit (eodem haud dubie Senatus conventu post concionem domesticam habito, de quo Cicero refert Or. pro Mur. l. c. *) Quum non persuaderet, ut ea quae volebat decernerent (nec enim probabilia retulisse, sed ob proprias inimicitias per calumniam eos viros accusasse videbatur), timor eum incessit: quippe qui magis quidem Catilinam irritasset.“ Alius prorsus rerum status erat post XII. Cal. Nov., quo die Consulibus solemni formula salus rei publicae a Senatu commissa, urbsque publicis etiam praesidiis munita est, ut satis supra expositum.

Itaque haec omnia, de quibus Cicero in Or. pro Mur. l. c. refert, ante XII. Cal. Nov. facta esse apparet. Reliquum est, ut videatur, num, quo tempore facta sint, accuratius definiri possit. Sed hoc, ne fines huic scriptioni propositos iusto longius transgrediamur, brevi absolvere liceat. Etenim quamquam ordinaria consulum creatio ante Cal. Sextiles fieri solebat, id quod recte statuit Grucchius de comit. Rom. I, 6., nihilominus dilationes comitiorum usque ad mensem Octobrem et ultra ultimis rei publicae temporibus saepissimae erant cum obnuntiationibus augurum et magistratuum, tum ambitus studiis excitatae. Iam comitia consularia Cicerone consule habita ut non possunt ultra XII. Cal. Nov. esse dilata, quod demonstrasse nobis videmur, ita non multum temporis nec

*) c. 25. cuius verba „Congemuit Senatus frequens, neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit: nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant, partim quia timebant“, cum sequentibus Dionis verbis omnino consentiunt.

nisi paucos fortasse dies ante habita sint. Etenim oratio pro Murena dicta est inter VI. s. V. Idus Novembr. et III. Nonas Decembr. (V. s. p. 3 sq.), Antonio consule certe iam ad exercitum profecto (c. 39 §. 84), quem brevi post Catilinam urbe eiectum profectum esse constat ex Plut. Cicer. c. 16. Atque huius orationis parte extrema (cap. 41) paucis ante diebus consul dicitur factus. Quo argumento viri docti, veluti Fischerus l. c., usi sunt ad confirmandam sententiam suam, comitia consularia V. Cal. Nov., certe post XI. Cal. Nov. habita esse. At Cicero ad flectendos iudicum animos consulto et oratorum more tempus coarctat. „Si hunc vestris sententiis afflixeritis, quo se miser vertet? Domumne? ut eam imaginem clarissimi viri, parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia lugentemque videat? An ad matrem, quae misera, modo osculata filium suum, nunc cruciatur et sollicita est?“ Simili modo deinde „paucis ante diebus, ait, factum esse consulem Murenam nuntios litterasque in Gallia Transalpina celebrasse, simul inde hospites atque amicos gratulatum Romam concurrisse“: licet hoc admodum paucis diebus fieri non potuerit. Idem in Catil. III. (c. 2.), quae habita est III. Nonas Decembr. „principio, ait, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, quod factum est VI. Id. Nov., ita ut paucos dies vocet, quod totius mensis spatium erat. Quamobrem si oratio pro Mur. habita est brevi post VI. Id. Nov., rebus in urbe secessu Catilinae ad quietem redactis, nihil obstat, quominus comitia, quibus Murena consul factus est, ineunte aut medio mense Octobri, certe paucos ante XII. Cal. Nov. dies habita statuamus. Longius spatium neque necessarium est nec verisimile. Nam verisimile est, Catilinam post repulsam comitiis latam ad bellum rei publicae parandum et exsequenda ea mox transiisse, quibus XII. Cal. Nov. excitatum est S. C., ut viderent Consules,

ne quid res publica detrimenti caperet. *) Atque haec de comitiorum tempore. Senatus autem, de quo Or. pro Mur. loco supra exarato agitur, Catilinae concione domestica excitatus, et quo dilata comitia sunt, potest quidem mense iam Sextili habitus esse, quo ordinaria consulum fiebat creatio. Sed ne hoc quidem verisimile est, quum ardentibus eo anno ambitus studiis, ob quae vel Calpurnia lex severius renovata est, consulto comitia in longius tempus dilata videntur.

Sed haec hactenus. Vos autem, Commilitones, et his, quae hucusque exposita sunt, et quae sequentibus paginis Vobis offeruntur studiorum adminicula, strenue ac diligenter utamini! Valete! Scrib. Monasterii Guestphal. mense Martio MDCCCLIII.

*) Ita etiam Plut. Cic. 15. οὐ πολλῷ δ' ὕστερον τούτων (h. e. post comitia) refert facta esse ea, quibus excitatum est S. C. XII. Cal. Nov.



LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

ANT. BERLAGE, Dr., 1. Doctrina dogmatica de sacramentis ad finem perducta eschatologiam et introductionem in theologiam dogmaticam eiusque historiam tractabit, quinquies p. h. hora X.; 2. de religionis et ecclesiae christianae divina origine disseret, quater p. h. hora VII.

LAUR. REINKE, Dr., h. a. Decanus, 1. Vaticinia Messiana interpretari perget, ter p. h. hora IX.; 2. praemissa introductione Psalmos interpretabitur, ter p. h. horis commodis.

BERN. DIECKHOFF, Dr., 1. Prolegomena in ethicam christianam catholicam et partem generalem huius disciplinae tractabit, quinquies p. h. hora VIII.; 2. Officium restitutionis magna casuum varietate illustrabit, bis p. h. horis VIII. et XI.

ADOLPH. CAPPENBERG, Dr., 1. Ecclesiae christianae historiam inde ab incunabulis ecclesiae enarrabit, quater p. h. hora XI.; 2. Antiquitates christianas proponet, ter p. h. horis VII. et XI.; 3. s. Iustini Apologias interpretabitur hora VII.

NICOL. PÜNGEL, Dr., Prof. design., 1. Curam peccatorum pastoralem prosequetur, ter p. h.; 2. Doctrinam pastoralem de sacramento matrimonii tractabit binis p. h. horis.

2. Professoris extraordinarii.

AUG. BISPING, s. Theol. Licent., 1. Evangelium s. Matthaei interpretabitur quaternis p. h. horis; 2. historiam passionis et resurrectionis D. N. Iesu Christi secundum quatuor evangelistas exponet, ter p. h.

3. Privatim docentis.

FRANC. FRIEDHOFF, s. Theol. Licent., Doctrinam dogmaticam de gratia ac deinde de quatuor novissimis tradet, quater p. h. hora IV.

II. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

GUIL. ESSER, Dr., Academiae Senior, *publice* doctrinam paedagogicam continuabit, bis p. h. dd. Iovis et Veneris hora XI.; *privatim* 1. Metaphysicam sive Philosophiam theoreticam explicabit, quinquies p. h. hora IX.; 2. Historiam criticam philosophiae recentioris tractabit, quater p. h. dd. Lunae, Martis et Mercurii hora XI. et die Lunae hora XII.

LAUR. REINKE, Dr., *publice* 1. Linguae Arabicae elementa docere et auditores in interpretandis scriptoribus Arabicis exercere perget, bis p. h.; 2. Linguae Syriacae et Chaldaicae coniunctim elementa docebit, bis p. h.; *privatim* Grammaticam Hebraicam docebit, deinde Geneseos aliquot capita et aliquot Psalmos electos explicabit, ter p. h. horis commodis.

FRANC. WINIEWSKI, Dr., h. a. Decanus, *publice* Platonis Phaedonem interpretabitur, quater p. h. hora X.; *privatim* Artem metrorum Graecorum Romanorumque docebit una cum exercitationibus iusto tempore adiungendis, quater p. h. hora XII.; *privatissime* Disputationes exegetici potissimum argumenti de scriptoribus Graecis instituet bis p. h. horis commodis.

FERD. DEYCKS, Dr., Academiae h. a. Rector, *publice* Historiam carminis epici Germanorum narrabit, atque poëma de Nibelungis explicabit, ter p. h. hora VIII.; *privatim* Taciti Annales interpretabitur, ter p. h. hora VIII.

IOS. ROSPATT, Dr., *publice* Historiam aevi recentioris usque ad secundam pacem Lutetiae Parisiorum a. MDCCCXV. initam enarrare perget, quater p. h. hora IV.; *privatim* Historiam Graecorum, Macedonum, Seleucidarum ac Ptolemaeorum inde a temporibus Alexandri Magni exponet, ter p. h. hora X.; *privatissime et gratis* Exercitationes et disputationes de rebus historicis instituet, bis p. h. horis commodis.

EDUARD. HEIS, Dr., *publice* 1. Trigonometriam planam et sphaericam tradet, bis p. h.; 2. Exercitationes geometricas et algebraicas instituet, item binis p. h. horis; *privatim* 1. Calculum differentialem et integralem docebit, quater p. h.; 2. Sectiones conicas ratione geometrica tractabit, bis p. h.

2. Professorum extraordinariorum.

CHRISTOPH. SCHLÜTER, Dr., *publice* Historiam doctrinae de ideis docebit ter p. h.; *privatim* 1. Historiam philosophiae, quae floruit apud veteres, ter p. h. enarrabit; 2. Psychologiam quater p. h.; 3. Logicam seu Dialecticam ter p. h. tradet.

GUIL. HITTORF, Dr., Prof. P. E. design., *publice* de Electromagnetismo disseret, binis p. h. horis; *privatim* Physicae experimentalis primam partem tradet, quater p. h.; *privatissime* Chemiam analyticam exponet, sexies p. h.

ANT. KARSCH, Dr., Prof. P. E. design., *publice* Phytologiam universalem et specialem, ter p. h.; Zoologiam universalem et specialem, ter p. h. horis commodis docebit; Repetitorium et Conversatorium cum excursionibus et exercitationibus instituet, ter sexiesve p. h.

3. Doctoris privatim docentis.

GUIL. IUNKMANN, Dr., *gratis* 1. Historiam medii aevi, ter p. h.; 2. Selecta quaedam ex Historia Monasteriensi, semel p. h.; *privatim*

Historiam universalem inde a Christo nato usque ad tempora nostra, ter p. h. enarrabit.

* * *

LEOP. SCHIPPER, Dr., *gratis* Shakspearii tragoediam Hamlet interpretabitur; *privatim* Grammaticam linguae Gallicae aut Anglicae docebit et exercitationes instituet.

Exercitationes Seminarii paedagogici et philologici.

LUDOV. NADERMANN, Dr., Prof. et Canonicus ecclesiae cathedralis, Aeschyli Septem adversus Thebas cum Sodalibus tractare perget.

GUIL. ESSER, Dr., Philos. Prof. P. O., Exercitationes de rebus philosophicis solita ratione moderabitur.

FERD. DEYCKS, Dr., Philologiae Prof. P. O., Ciceronis Orationes Philippicas Sodalibus proponet interpretandas, eorumque scribendi reget exercitationes.

Doctrinarum Apparatus et Instituta.

Bibliotheca Paulina stato tempore patebit, eiusdemque opes litterarum amantibus ex legum praescripto officiosissime dispensabuntur. *Apparatus physicus* et *Laboratorium chemicum*, *Apparatus mathematico-astronomicus*, *Museum mineralogicum et zoologicum*, *Collectio anatomica*, *Hortus* denique *botanicus* naturae studiosis et curiosis lubenter aperientur, qui quidem eos viros, quibus earum rerum demandata est cura, rite adierint.

